



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis  
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz  
Toletani è Societate Iesv**

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

§. 2. De Fiducia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)

70 DE VIRTUTE SPEI.

destinatis, & nobis cum charitate  
coniunctis.

Iere. 14.  
8.

Postulatio Spei. Domine IESU  
Christe *expectatio Israel, & Saluator  
eius in tempore tribulationis.* qui de  
coelo descendisti, vt nos in coelum  
eueheres, & mortem acerbissimam  
pertulisti, vt nobis peccato mortuis,  
nunc vitam gratiae, & postea vitam  
gloriae donares: obsecramus te per  
incomprehensam bonitatem tuam,  
vt spem bonorum aeternorum, quae  
dilectis tuis parasti, in nobis augeas,  
& nos, qui aeterna speramus, tem-  
poralia aspernari concedas. Amen.

De Fiducia. § II.

Pf 26.1.  
23.

**F**IDUCIA est *expectatio firma,*  
*quod Dominus in omnibus neces-*  
*sitatibus, tum temporalibus, tum*  
*spiritualibus, nos iuuabit, & in tribula-*  
*tionibus non derelinquet.* Qua seipsum  
roborabat sanctus Dauid, cum dice-  
bat: *Dominus illuminatio mea, &*  
*salus mea, quem timebo? Dominus pro-*  
*tektor vitae meae, à quo trepidabo? Sicō*  
*sistunt aduersus me castra, non timebit*

cor



cor meū. Si exsurgat aduersū me præ-  
 liū, in hoc ego sperabo. Incitamenta ad  
 Fiduciam sunt: I. Animo expendere,  
 quanta Deus benignissimus pro om-  
 nibus fecit, quos ex nihilo extractos  
 cōseruat, gubernat, sustētat, & bonis  
 visibilibus & inuisibilibus ditat. Quā  
 misericors & dulcis fuit in iustis suis  
 à tribulatione liberādis. Vt cū Dani- *Dan. 14<sup>a</sup>*  
 elē de lacu leonū: Iosephū de cisterna *Gen. 27.*  
 & de carcere: Noe de diluuiō: & tres *Gen. 7.*  
 pueros Habræos de camino ignis ar- *Dan. 3.*  
 detis eripuit. Nō mutauit Deus, ō homo, *2. Pet. 2.*  
 ingeniū suū, sed nouit nunc; sicut & an- *9.*  
 tea, vt ait Petrus, pios eripere de tenta- *Tob. 3<sup>a</sup>*  
 tionibus. Pro certō ergo habe, quod vita *21.*  
 tua, si in probatione fuerit, coronabitur,  
 & si in tribulatione fuerit, liberabitur:  
 Vide imaginē Dei, id est Christū Iesū *Ioan. 14<sup>a</sup>*  
 in cruce pēdentē, & ille (quo visu Pa-  
 trē videmus) te ad confidentiā anima-  
 bit. Quis enim non raperetur ad spem,  
 ait Bernardus, & ad impetrandi fidu- *Bern.*  
 ciam, si attenderet in cruce Christi cor-  
 poris dispositionē? Vide caput inclinātū  
 ad osculandū, brachia extēta ad ample-  
 xādum, manus perforatas ad largiēdū,  
 latus



*latus apertum ad diligendum, totum corporis extensionem ad se totum impendendum.*

II. Fiducia maximè glorificamus Deum, quoniam vno confidentiæ actu eum benignissimum prouisorem nostrum, & omnium malorum depulsorem confitemur. Vnde actus iste mirum in modum nos roborat, & inuincibiles facit ad sustinendos pro virtute labores. Nam qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, assumment pennas, vt aquilæ, current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient. Est etiam fiducia magni meriti: & ideo Paulus ait: Nolite amittere confidentiam vestram que magnâ habet remunerationem. Et ipsa tandè impetrat à Deo quicquid illi non est indignum dare, & nobis expediens accipere. Idque significant verba illa Domini: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Quo loco de fide Christiana loquitur, quam tamen fiducia comitatur. Quia nimirum credimus,

Isa. 40.  
71.

Heb. 10.  
35.

Matt. 17.  
20.

Pf  
23.



dimus Deum omnia posse, & de sua bonitate confidimus, nobis auxilium esse præstandum.

III. Excitat fiduciam puritas cordis, quæ cum nos similes Deo faciat, & cor filiorum immittat, etiam fiduciam filiorum attribuit. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo.* Et de innocente Susanna dicitur: *Erat cor eius fiduciam habens in Domino.* Bona etiã opera à cordis puritate manantia fiduciam præstant. Vnde Tobias: *fiducia magna erit coram summo Deo elemosyna omnibus facientibus eam.* Et Paulus: *Qui benè ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciã in fide, quæ est in Christo Iesu.*

Actiones fiducix sunt: I. Deum in omnibus laboribus, necessitatibus, & tribulationibus nobis astantem & benignissimè iuuãtem aduertere. Sicut Stephanus, qui cùm lapidaretur à Iudæis, exclamauit: *Ecce video celos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, vt scilicet illi suppetias afferret.*

D

II.



II. Dominum, dum indigemus, ut adiutorem rogare, & eius auxilium & sanctorum exposcere.

III. Pro certo habere, orationes nostras, si iustum & expediens postulet, à Domino misericorditer exaudiri.

IV. Si Dominus auxilium dare distulerit, non desperare iuxta illud: *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.*

V. In euentibus contrarijs, qui videntur nostris bonis desiderijs obstare, nullo modo confidentiam deponere.

VI. Vitæ puritate nos paratos ad diuinas inspirationes, quibus fiducia creatur, exhibere.

*Psalm. 9.* Postulatio fiducia. Domine IESU Christe, qui factus es *refugium nostrum, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*: miserere imbecillitatis cordis nostri, cuncta ex sua paupertate æstimantis, & sua minima capacitate metientis, ipsumq; fiducia dilata, & spe incomprehensibilis tuæ misericordiæ robora; ut ad te in omni necessi-



necessitate, tanquam ad Patrem  
accurrat: in gremio tuo omnes mo-  
lestias, curasque reijciat, & non se-  
cundum vtilitatem suam, sed secun-  
dum largitatem tuam & diuitias tu-  
as, ampla remedia omnium miseria-  
rum expectet. Amen.

## De Timore. §. III.

**T**IMOR est fuga peccati, ne quis  
incurrat in temporalem aut æ-  
ternam pœnam, ne perdat glori-  
am, & ne labatur in sui creatoris offen-  
sam. Iste dicitur timor Domini.  
Quoniam Deum, & vltorem, & pec-  
catorum vindicem timemus, & in eius  
indignatione incidere formidamus.  
De quo Dauid ait: *Venite filij, audite* Psal. 35.  
*me, timorem Domini docebo vos.* Non, 12.  
inquam, docebo vos scientiam sæcu-  
larem, quæ sine timore inflat, sed ti-  
morem Domini, qui sine scientia  
saluat.

Incitamenta ad timorem sunt: I.  
Opera iustitiæ Dei. *Si enim Angelis* 2. Pet. 2.  
*peccantibus Deus non pepercit,* (vt  
Petrus in sua Canonica ait) *sed ru-* 4.  
*dentibus*